



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XX. De electione, & reprobatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

adultam pervenissent, adeoque propter opera absolute nunquam futura; prædicta vero sententia agit tantum de meritis ab ipsa gratia ortis, quæque absolute futura sunt, licet prævideantur sub conditione. Fatemur tamen sententiam illam parum habere probabilitatis, cum vel solo exemplo Tyrionum satis ostendatur, merita conditionata Deum non movere ad conferendam gratiam.

CAPUT XX.

De electione & reprobatione.

RESOLUTIO I. *Probabilior est sententia, qua docet, electionem efficacem ad gloriam factam esse antecedenter ad absolutam prævisionem meritum, adeoque esse merè gratuitam.* RATIONES variæ sunt, & non spernendæ, quibus id suadetur. *Prima*, negari non potest quin Scriptura ei valde faveat plerisque in locis, ac speciatim *Sap. 4. Matth. 24. & Ioan. 10.* Ubi agitur de speciali cura quam Deus exercet erga prædestinatos dando operam ut à gratia finaliter non excidant; hinc enim aperte colligitur perseverantiam finalem esse effectum electionis, non autem causam illius. Favet etiam Paulus *Rom. 8.* aliisque locis agnoscens quandam vocationem propriam electorum; quam vocat secundum propositum, quia Deus eam tribuit prædestinatis ex efficaci proposito eos salvandi; & *cap. 9.* tradens discretionem Iacob electi ab Esau reprobo non ex eorum operibus, sed ex mera voluntate Dei, quem ait se habere instar figuli, facientis aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.

Secunda, quia ut etiam fatentur nonnulli auctores sententiæ oppositæ, Augustinus apertissime locis prope innumeris ita comparat electionem efficacem ad gloriam, cum finali perseverantia, ut velit hanc esse effectum illius; ita ut alicui tribuatur perseverantia, quia ad beatitudinem electus est, & non vice versa ille eligatur, quia perseveraturus est: unde

cor-

consequens est prædestinatos non eligi ex prævisis meritis, sed ex gratuita Dei voluntate, cujus vi tribuntur ipsa merita, & perseverantia finalis.

Unde sæpe illud constituit discrimen inter prædestinatos, & non prædestinatos, quòd priores quia electi sunt, perseverantiam accipiunt; posterioribus verò perseverantia denegatur, eo quòd non sunt ex beato illo electorum numero; qua in re serìò monet non esse curiosè discutienda judicia Dei, sed cū humilitate suspicienda, juxta illud Pauli, ò altitudo, &c.

Sæpe etiam Augustinus electionem adultorum comparat cum electione parvulorum, quo ad hoc, quòd sicut Deus quosdam parvulos eligit misericorditer ad gloriam, tumque curat ut iis administretur Baptismus, sine quo salvari nequeunt, adeò ut perseverantia finalis sit effectus, non causa electionis ipsorum. Contra verò alios ex justo judicio relinquit in massa perditionis, permittens ut morte præveniantur, antequam à peccato originali mundari possint: ita Deus ex mera sua misericordia quosdam adultos eligit ad gloriam, & deinde ex vi hujus electionis tribuit illis media ad talem finem necessaria; alios vero ex justo, quamvis occulto judicio, non eligit ad gloriam, & consequenter non dat operam ut illis conferantur ea media, per quæ efficaciter beatitudinem obtinerent. Verba Augustini quibus prædicta latè confirmantur, habes in suavi Concordia, *Disp. 1. Sect. 5.* quem locum, si placet, consule.

Tertìa, quia S. Thomas electionem gratuitam perspicuè defendit variis locis disput. jam citata relatis, ex quibus hic tantum observandum est illud ex *q. 7. de verit. art. 6. ad 3.* Vitam gloriæ non providet, nisi ex beneplacito suæ voluntatis, & illud ex *1. p. qu. 23. art. 5. ad 3.* Sed quare hos elegit in gloriam, & hos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem. Atque hanc veram esse sententiam S. Doctoris agnoscunt communiter Thomistæ omnes, tam antiqui quam recentiores, qui proinde electionem

gratuitam merita antecedentem & causantem nobiscum defendunt; imò Scotus & omnes illius discipuli hanc nostram sententiam amplectuntur, fatenturque se in hac re consentire cum S. Thoma, sicut & alii plerique quos prætereo. Unde patet, si res ex numero & autoritate Scholasticorum sit definienda, dubitari non posse quin sententia quam propugnamus oppositæ præferenda sit.

Quarta, quia ut communiter nostræ sententiæ auctores ex S. Thoma & Scoto argumentantur, qui ordinatè vult, priùs vult finem quàm media ad finem: At Deus ordinatè vult, ergo priùs vult finem quàm media ad finem; gloria autem est finis, & merita sunt media ad illam, ergo priùs vult gloriam quàm merita; & consequenter electio ad gloriam non potest esse ex prævisione meritorum.

Dices voluntatem quandam inefficacem dandi gloriam, præcedere voluntatem dandi media, quæ sunt merita, non autem efficacem, de qua loquimur. *Sed contra*, nam intentio finis debet esse proportionata electioni mediæ, at Deus dat mediæ efficaciam ad finem, ergo hoc oritur ex efficaci intentione finis.

Quinta, quia illa sententia est præferenda, quæ ex una parte electis est multo favorabilior, & ex alia nõ habet majorem rigorem erga reprobos. At hoc competit nostræ sententiæ; ut per se patet quoad prædestinatos; quantum verò ad reprobos ostenditur, quia si res attentè inspiciatur, in morali æstimatione perinde est, quòd Deus non eligat Judam ad auxilia efficaciam & finalem perseverantiam, aut quòd eum non eligat ad gloriam: cùm reprobatio à finali perseverantia sit virtualis reprobatio à gloria, hæcque non majorem salutis spem relinquat, quàm formalis voluntas denegandi gloriam.

Unde quando opponunt adversarii, quomodo Deus habeat verum & sincerum affectum salvandi Judam, si illum non eligit efficaciter ad gloriam cum Petro,

Petro,

Petro, nos vicissim ab ipsis quarimus, qua ratione Deus, in eorū sententia, sincerè velit salvare Judam, cū eum non eligat ad auxilia efficacia, & ad finalem perseverantiam, ad quam tamen ex mera sua misericordia elegit Petrum. Sanè utrobique est eadem difficultas; neque puto quòd is qui se reprobatum existimat, foeliciorē aut mitiorem sortem experiat, etsi à nostra, ad oppositam sententiam transeat.

Nota 1. Non opus esse ponere in Deo duplicem voluntatem efficacem respectu gloriæ, aliam antecedentem merita, aliam consequentem, sed unam sufficere, qua Deus ex mera sua liberalitate, & à prævisis meritis minimè provocatus, efficaciter aliquem eligit ad gloriam per merita obtinendam.

Dices, ergo eadem voluntas erit gratuita simul & remunerativa, quod repugnat. *Distinguo,* erit gratuita & remunerativa quoad se, nego; erit gratuita quoad se & remunerativa quoad objectum, concedo. In hoc autem nulla est repugnantia, sicut neque quòd Petrus malit vendere suum equum Stephano, quàm Antonio: illa enim voluntas Petri est merè gratuita, etsi per illum non velit dare equum gratis, sed pro justo precio.

Instabis, eo ipso quòd Deus statuit conferre gloriam per merita, necesse est ut merita illius intellectui jam objiciantur ut præsentia. *Verum* hoc negatur de præsentia absoluta, sufficit enim quod per scientiam conditionatam priorem electione, sciat Deus se posse ei quem elegerit tribuere merita, quotquot, & quando voluerit.

Nota 2. Prædestinatum in sensu composito cū scientia conditionata decreto prædestinationis præsupposita, non posse damnari, quia eligitur, ut salvandus per auxilia gratiæ, quæ juxta præscientiam Dei effectum in eo sunt infallibiliter habitura; absolute tamen posse damnari, quia cū non salvetur nisi per auxilia repudiabilia, & minime prædeterminantia, potest, si velit iis consensum negare, & in

peccatum finale labi. Contrà verò eum qui non est efficaciter electus ad gloriam, absolute posse salvari, quia etsi non possit efficere, ut eligatur ante prævisa merita, potest tamen cooperari gratis acceptis, quod si faceret, haud dubiè eligeretur ad gloriam ex prævisis meritis.

RESOLUTIO II. *Gloria aeterna, item vocatio & justificatio, peccatorum permissio, & bona prædestinati indoles, sunt effectus prædestinationis.*] PRIM A pars probatur, quia qui causat media efficacia ad finem, causat mediate ipsum finem; atqui prædestinatio causat media efficacia ad gloriam, ergo & ipsam gloriam.

Secunda pars ostenditur, tum ex illis verbis *Rom. 8. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit;* tum quia illud est effectus prædestinationis, per quod Deus exequitur decretum prædestinationis, at Deus per vocationem, & justificationem exequitur decretum prædestinationis, ergo.

Tertia pars probatur, quia cùm ex una parte permissio peccati sit bona, & à Deo volita, ex alia vero omnia prædestinatis cooperentur in bonum, etiam ipsa peccata, quatenus resurgunt humiliiores, cautiores, & ferventiores, nihil videtur obesse quin Deus permittat prædestinatos cadere, ex intentione efficaci, ut ad majorem gratiam & gloriam assurgant: atque ita docet S. Thomas *1.2. q. 79. art. 4.*

Nota Deum, velle permissionem peccati ratione pœnitentiæ, neque propterea opus esse ut Deus velit peccatum ad pœnitentiæ requisitum, sed sufficere quòd per scientiam conditionatam sciat prædestinatum infallibiliter peccaturum, ex hypothesi quòd velit illi exhibere concursus necessarium ad peccandum.

Quarta pars suadetur, quia quidquid ad salutem prædestinati de facto conducit, est effectus prædestinationis ipsius: at ingenium, bona indoles, aliaque ejusmodi

eiusmodi naturalia ad hoc conducunt, ut patet ex August. qui lib. de dono perseverantiae cap. 14. & alias non raro docet, Deum cum vult aliquem convertere, eum movere & vocare eo modo quo scit ei congruere, spectata scilicet illius naturali dispositione, ut vocantem non respuat.

RESOLUTIO III. *Prædestinatio certissime, & infallibiliter consequitur suum effectum, non tamen imponit necessitatem agendi.* ITA S. Thom. 1. p. q. 23. art. 6. quod probat, quia prædestinatio est pars providentiæ. At non omnia quæ providentiæ subduntur sunt necessaria, sed quædam contingenter eveniunt, secundum conditionem causarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit. Et tamen providentiæ ordo est infallibilis, ex dictis q. 22. art. 4. Sic igitur & ordo prædestinationis est certus, & libertas arbitrii non tollitur, per eiusmodi certitudinem.

Ex quo patet, electionem efficacem ad gloriam merita antecedentem, non obtinere suum effectum per motiones physicè prædeterminantes, cum hæc inducant necessitatem agendi contrariam libertati ut supra ostensum est: quare ut eiusmodi electionis immobilis certitudo defendatur, eaque cum libertate rectè concilietur, necessario recurrendum est ad scientiam mediam decreto prædestinationis præsuppositam, quia videt Deus, quid faceret Petrus si illum in circumstantiis minimè prædeterminantibus constitueret; ac proinde huius scientiæ usus maximè in hac controversia admittendus est.

Illi tamen qui putant, electionem efficacem ad gloriam factam esse duntaxat post prævisa merita, sufficienter explicant certitudinem prædestinationis per scientiam visionis, qua Deus merita, ut absolute futura intuetur; neque quoad hoc præcisè opus est, ut recurrant ad scientiam conditionatam; licet Deus in priori decreto quo auxilia gratiæ hominibus distribuit, illius luce & directione indigeat.

Nota 1. Eos qui docent, efficacem electionem factam esse antecedenter ad prævisa merita, communiter affirmare gradus omnes gloriæ, ad quos singuli beati perventuri sunt, speciali decreto & prædefinitione Dei fuisse determinatos: siquidem modus melioris & perfectioris providentiæ exigat, ut sicut Deus certos Angelos & homines nominatim destinat ad gloriâ æternam, ut ex iis regnum cœlestis constituat; ita singulis præscribat certam gloriæ mensuram, ex cuius diversitate, & inæqualitate tanquam ex variis mansionibus civitas illa beatorum mirificè coalescit: juxta illud Christi, *Joan. 14.* In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Nota 2. Quòd etsi Deus homini prædestinato, quãdiu vivit, tribuat auxilia sufficientia quibus nova, & nova merita cumulare possit, si velit, prius tamen quàm ea tribuat, novit per scientiam mediam prædestinatum per talia auxilia si illi dentur, non acquiraturum de facto nisi talem gradum meriti & gloriæ. Unde eâ scientiâ præsuppositâ, rectè potest Deus certò præfinire mensuram gloriæ tribuendæ prædestinato, neque unquam eveniet, quòd prædestinatus illum gradum, aut non attingat, aut prætergrediatur: res enim ita erunt per diuinam providentiâ dispositæ, ut quando electus præfixam meritorum & gloriæ mensuram impleverit, simul ad vitæ terminum perveniat.

RESOLUTIO IV. *Aliquo sensu ponendus est in Deo liber vitæ.]* De hoc agit *S. Thomas 1. p. q. 24. per 3. articulos*, quorum primo docet in primis librum vitæ in Deo dici metaphoricè, nempe secundum similitudinem à rebus humanis acceptam. Consuetum enim est apud homines eos qui ad aliquid eliguntur conscribi in libro, utpote milites & consiliarios, qui olim dicebantur Patres Conscripti; quare cum prædestinati eligantur à Deo ad habendam vitam æternam, hinc ipsa prædestinatorum descriptio liber vitæ appellari solet. *Secundò* librum vitæ ratione distin-

distingui à prædestinatione, quatenus prædestinatio est ratio ordinis mediorum, quibus prædestinatus ducitur ad vitam æternam: at liber vitæ est ipsa notitia, qua Deus firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam. *Tertio*, non esse consuetum conscribi, eos qui repudiantur, sed eos qui eliguntur, ac proinde reprobationi non respondere librum mortis, sicut prædestinationi respondet liber vitæ.

Art. 2. docet 1. Librum vitæ respicere tantum vitam gloriæ prædestinatorum, aliquis enim eligitur ad id quod ei non competit secundum suam naturam, quodque habet rationem finis; quæ duæ conditiones competunt vitæ gloriæ, non autem vitæ naturali, ad quam proinde nemo scribi dicitur. 2. Non dici librum vitæ respectu gratiæ, quia nemo conscribitur ad id quod habet rationem medii, sed ad id quod habet rationem finis; sicut miles non conscribitur, ut armetur, sed ut pugnet & vincat si possit; sicut tamen illi qui habent gratiam, & à gloria excidunt, dicuntur electi secundum quid, & non simpliciter, ita & dicuntur scribi in libro vitæ secundum quid, non simpliciter.

Art. 3. docet 1. Non posse deleri de libro vitæ, eos qui in illo sunt scripti simpliciter, id est, qui à prædestinatione sunt ordinati ad gloriam æternam hæc enim ordinatio non potest deficere. 2. Eos posse deleri de libro vitæ, qui in eo sunt tantum scripti secundum quid, quia illi eo modo dicuntur scripti in libro vitæ, qui ad vitam æternam ordinantur per gratiam: quare cum ii possint à gratia deficere, consequenter de libro vitæ deleri possunt. 3. Hanc deletionem non esse reducendam in Dei notitiam, quasi verò aliquid prius Deus sciverit, & postea id nesciat, sed in rem ipsam, quatenus Deus scit eum qui habet gratiam, ordinari tunc in vitam æternam, & postea non ordinari, cum ab ea deficit.

RESOLUTIO V. *Probabilius est reprobationem*

hominum negativam non fuisse constitutam, nisi ob peccatum originale praevisum.] **PROBATUR** primò, quia Augustinus libro de dono perseverantiae cap. 8. & aliàs frequentissimè docet, prædestinationem hominum factam esse ex massa generis humani per peccatum originale infecta, ita ut aliqui per misericordiam Dei ex ea massa liberati fuerint, alii verò ex iusto Dei iudicio ab ea non fuerint liberati.

Secundò, prædestinatio hominum supponit peccatum originale, ut patet, quia supponit merita Christi, & hæc peccatum originale; ergo etiam reprobatio negativa peccatū originale supponere debet; cum eodem signo rationis concepta sit, quo electio ad gloriam, & consequenter dicendum est ejusmodi peccatum fuisse simpliciter causam, propter quam Deus homines negativè reprobare voluerit; etsi non fuerit causa, quare potius hunc quàm illum eo modò reprobaverit: cum omnes peccato originali æqualiter infecti fuerint.

Nota, ex quorundam sententia, prædestinationem & reprobationem hominum constitutam esse, praevisio peccato primi parentis, antequam esset transfusum in posteros illius, sicque potuisse Beatam Virginem à peccato originali in seipsa præservari. Alii verò putant Beatam Virginem potuisse præservari ab originali, etsi prædestinatio non sit constituta, nisi post transfusionem illius: quia praevisio Adæ peccato, Deus voluit permittere, ut omnes illius posteri eo inficerentur, excepta purissima Virgine, quam ab ejusmodi labe præservavit.

RESOLUTIO VI. *Deus neminem positivè reprobat, ante praevisum illius peccatum.*] **EST COMMUNIS** tum contra Lutheranos & Calvinistas, tum contra quosdam recentiores Theologos, qui quoad rem ipsam idem sentire videntur. *Probat*ur autem primò, nam si reprobatio negativa non est facta independenter à peccato, multò minùs positiva quæ longè aurior est; cum per illam reprobatus actu positivo exclu-

cludatur à regno cœlorum, & pœnis æternis addi-
catur.

Secundò, de fide est Deum non esse per se, & directè
causam quod aliquis damnetur: at oppositum dicen-
dum esset, si Deus ex se ipso, nulla suppositâ culpâ
ex parte hominum, veller positivè excludere eos à
regno cœlorum, & in infernum detrudere.

Nota 1. Prædictam resolutionē debere intelligi de
peccato finali: sic enim plenius verificatur, Deum
velle ut omnes homines salventur, peccatores etiam
perditissimos posse converti quandiu vivunt, & simi-
lia quæ satis non cohærere videntur, si Deus, saltem
ut plurimum, velit aliquem damnare antequam vi-
deat eum mori in peccato.

Nota 2. Deum posse permittere peccatum repro-
borum, tum ut magis resplendeat divinæ providen-
tiæ suavitas, permittentis, ut creaturæ liberæ motus
suos agant; tum ut ex reproborum peccatis prædesti-
nati cautiore evadant; tum propter alios fines quos
prætereo. Neque opus est ut ex intentione puniendū
reprobos, permittat eos peccare, etsi supposito eo-
rum peccato, justè statuatur illis pœnam inferre, ex in-
tentione ostendendi in eorum supplicio, justitiam
suam vindicativam.

RESOLUTIO VII. *Peccatum reprobi non est effectus
reprobationis, permissio tamen peccati finalis est effectus re-
probationis negativæ, & interdum positivæ.*] **PRIMA**
pars probatur, quia cum reprobatio sit actus divinæ
providentiæ, sicut & prædestinatio, nihil esse potest
effectus reprobationis, nisi quod à Deo causari po-
test, & esse illius effectus; at repugnat quod Deus sit
causa alicujus peccati, ut Catholici omnes fatentur:
ergo fieri non potest quod peccata reprobatorum sint
reprobationis effectus. *Confirmatur*, quia si Deus cau-
saret peccata reprobatorum, iam verè dici posset, non
electos ad gloriam esse prædestinatos ad malum,
quod omnino à fide alienum est, ut patet ex Concil.
Arausic. 2. cap. 25. & ex Trident. sess. 6. can. 17.

Ubi nota 1. Hoc ita à nobis intelligi, ut peccatum non sit reprobationis effectus, sive quoad materiale, sive quoad formale.

Secundo, ut neque peccatum sub ratione pœnæ, sit reprobationis effectus: cum enim intrinsicam deformitatem habeat, non potest Deus illud peccatum causare, ex intentione aliquem puniendi, *Neque* refert quòd aliqui dicantur tradi in reprobum sensum, excæcari, indurari, &c. Ista enim non significant, Deum causare in nonnullis sequentia peccata ut puniat præcedentia; sed tantum permittere, ut in nova peccata labantur, subtrahendo seu denegando uberiora auxilia, per quæ ab iis peccatis abstinerent.

Secunda pars ostenditur, nam Deus eo ipso censetur permittere peccatum finale in reprobo, quo illi denegat gratiam efficacem, qua tale peccatum vitaret. At reprobatio negativa ex *Aug. lib. de correptione & gratia cap. 7.* & sæpe aliàs est causâ quòd Deus reprobo denegat talem gratiam: sicut electio opposita est causâ quòd dentur prædestinato auxilia efficacia, per quæ finaliter perseverat; ergo est etiam causâ permittendi in reprobo peccatum finale.

Tertia pars suadetur, quia etsi Deus ordinariè non statuat aliquem excludere à regno cœlorum, & in infernum detrudere, nisi propter peccatum in quo videt eum mori; interdum tamen contingit Deum, propter immane aliquod scelus, velle hominem pœnis æternis afficere, & ex tali intentione illius mortem accelerare modò extraordinario, ut vulgò conceditur evenisse in reprobatione Dathan & Abiron; aliisque similibus, quorum Scriptura meminit.

RESOLUTIO VIII. *Creatio reprobi non est effectus sua reprobationis positiva.*] Est communis & certa contra hæreticos, & nonnullos recentiores Theologos qui, quoad hoc, valde ipsis favent. Probatur autem primò ex dictis, ostendimus enim Deum neminem reprobasse positivè ante pravisum illius peccatum; unde sequitur à fortiori, reprobationem supponere

ponere creationem hominis reprobandi; cum prius sit aliquem existere, adeoque creatum esse, quam peccare.

Secundò, si Deus ex se efficaciter intendit damnare Judam, & ex illa intentione illum creat, nullo modo dici potest, Deum creasse omnes homines ex vero, & sincero affectu eos salvandi, qua tamen intentione eos creasse, ex fide certum est; neque dici potest Deum nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat; falsumque est quod Patres tam saepe inculcant, Deum ex seipso sumere motivum miserendi, & ex nobis nostrisque peccatis motivum puniendi.

Nota non opus esse, quòd Deus ex primaria intentione ostendendi suam misericordiam in prædestinatos, alios creare voluerit eo fine ut positivè eos damnaret; sed sufficere quod eos non elegerit efficaciter ad gloriam, & ad specialissimam dona gratiæ in prædestinatos profusa. Hinc enim satis declaratur misericordia Dei erga prædestinatos, quibus non magis debebatur electio quàm aliis, quique proinde æquè ac illi poterant relinqui, ac non eligi.

RESOLUTIO IX. *Bona reprobo concessa, non sunt reprobationis effectus.*] **PROBATUR**, nam sicut voluntas creandi aliquem eo fine, ut damnetur, excludenda est à Deo ex supradictis, ita & voluntas ei tribuendi bona aliqua sive naturalia, sive supernaturalia, ex eodem fine. *Confirmatur*, nam quemadmodum Deus omnes homines, etiam reprobos, creavit ex vera intentione eos salvandi; ita eadem intentione eis contulit varia dona, tam naturalia quàm supernaturalia, per quæ salutem consequi possent: non ergo ex intentione eos damnandi ejusmodi bona ipsis concessit; cum hæc duæ intentiones inter se repugnent, ut per se patet.

Neque dicas, bona omnia reprobo concessa de facto conducere ad damnationem illius adeoque esse effectus reprobationis ipsius; quemadmodum omnia bona prædestinatis concessa, quæ cum effectu

conducunt ad eorum salutem sunt effectus prædestinationis ipsorum. *Negatur* enim consequentia, & ratio discriminis est, quia Deus tribuit bona prædestinatis ea intentione, ut iis bene utantur, eorumque auxilio salutem consequantur; unde non repugnat quòd sint effectus prædestinationis: Deus autem non tribuit bona reprobis ut iis malè utantur, & per illa damnentur, sed potius ut iis bene utentes, salventur: quare dici non potest, quòd sint reprobationis ipsorum effectus.

RESOLUTIO X. *Inflictio pœnæ æternæ est proprius, imò unicus effectus reprobationis positivæ.*] PRIMA pars ostenditur, nam reprobatio positiva est decretum efficax, quo Deus hominès pravos positivè vult excludere à regno cœlorum, pœnisque æternis mulctare: hujus autem decreti proprius effectus est, ipsa actualis exclusio à cœlo, & inflictio pœnæ æternæ, quæ incipit post mortem reprobii.

Secunda pars probatur, nam ut patet ex supradictis, decretum positivum damnandi aliquem, non constituitur nisi post prævisum illius peccatum finale; tunc autem nullus effectus ex imperio & efficacitate talis decreti causandus superest, præter actualem inflictionem pœnæ æternæ: ergo hæc inflictio est unicus, & solus effectus reprobationis positivæ.

Confirmatur, nam si alius quidam est effectus reprobationis positivæ, is est, vel productio reprobii, vel dona illi collata, vel peccatum illius, vel denique decretum permittendi, seu non impediendi illud peccatum; at nihil ex istis est effectus reprobationis positivæ, ut ex dictis perspicuum est, ergo reprobatio positiva nullum habet effectum, præter inflictionem pœnæ æternæ.

Hæc autem intellige de lege ordinaria, nam in casu illo extraordinario, de quo resolutione 7. actum est, non modo æternæ, sed etiam temporalis mortis inflictio est effectus à positiva reprobatione causatus.